FRIDERICI ULRICI
CALIXTI

S. Theolog. Doctoris & Prof. primarii
Academiae Juliae Senioris
Nec non
Consiliarii ecclesiastici Guelphici
&
Abbatis Regiae Lutterae

MEMORIA

Oratione parentali repraesentata
&
In honorem defuncti edita
a
JOHANNE FABRICIO.

HELMESTADII,
Apud Georg. Wolfg. Hammium, Acad. Typogr.
A. C. MDCCI.

PRO-RECTOR
ACADEMIAE JULIAE
FRIDERICUS SCHRADER D.
S. P. D.
CIVIBUS ACADEMICIS.

Acerbum illum dolorem, quem ex desideratissimorum trium Collegarum immatura morte præterito anno sensimus, sub ipsa hujus anni initia vehementer aggravavit, quod a summo DEO in cœlestem patriam revocatus quoque fuerit Academiæ Juliæ Senior immortaliter meritus, vir venerabilis & excellentissimus, Dominus FRIDERICUS ULRICUS CALIXTUS, SS. Theol. Doctor, ejusdemque per dimidium seculi Prof. Publ. Ordinarius longe celeberrimus, Consiliarius Ecclesiasticus Guelficus, Abbas Regiæ Lutteræ, cujus funus hesterna die, comitantibus id ipsum SERENISSIMORUM ET POTENTISSIMORUM DUCUM NOSTRORUM, ACADEMIÆ JULIÆ MAGNIFICENTISS. DIRECTOR. HODIE TENENTIUM, PRINCIP. ET DOMINOR. NOSTRORUM CLEMENTISSIMORUM Illustribus Legatis, ductum est, & relictæ exuviæ illi monumento illatæ sunt, quod vivus sibi

elegit, in quo quiesceret mortuus. Quandoquidem vero pietas monet, ut publica quoque voce, quid in venerabili Calixto, ut annis, ita bonorum meritorumque pleno, summisq; Principibus adamato, amiserit Academia Julia, eadem solenni oratione declaret, officium hoc in se suscepit vir maxime reverendus JOH. FABRICIUS, SS. Theol. Doctor, & Professor Publ. Ord. celeberrimus, nunc suæ Facultatis Senior dignissimus, qui crastina luce hora decima in Juleo lessum faciet, & summe reverendi Domini Abbatis memoriam & vitæ speculum animis auditorum infiget. Dabitis hoc piis viri manibus, & eleganti eloquio illius obitum lugenti auscultabitis omnes. Salvete, & dum vivitis & valetis, mori discite. P. P. in Acad. Julia d. XIV. Febr.

cIↄ Iↄ ccI.

Magni-



MAGNIFICE DOMINE
PRO-RECTOR,

Spectabiles Decani, & Profeſſores celeberrimi, Hoſpites honorandi, tuque natalibus, ingenio, eruditione & virtutibus ornatisſima Studioſorum corona.



On temere hunc locum ego hodie conſcendo, & dicendi partes mihi ſumo: Si enim fas & aequum eſt, viro de ſtudiis theologicis bene merito, nec ordinis tantum ſui, ſed & totius academiae ſeniori, & conſiliarii eccleſiaſtici, atque abbatis dignitate conſpicuo, parentare, ejusque memoriam celebrare, cur non id fieret magni nominis viris connumerando, omnibusque iſtis meritis & honoribus inclyto, & inter beatos nunc ovanti *Frid. Ulr. Calixto*? Eccur prae aliis egomet ſupremum hoc officium ei non praeſtarem? Fuit enim is mihi praeceptor ſeptem & triginta abhinc annis, cui Epitomen theologiae paternam explananti auſcultavi, neque operae & temporis, doctrinae ejus impenſi, unquam me pœnituit. Atque is hactenus ultimus fuit ſuperſtes ex omnibus, quos hoc in loco tunc temporis non tantum habebam doctores, ſed & conſpi-

Cauſae ad ſuſcipiendam parentationem hanc moventes.

cere licebat professores; ita ut rudera totius aedificii professorii, quod praedicto illo tempore stabat firmiter, nec minus fructuosum erat, quam pulcrum & speciosum, in eo solo spectanda essent, sicut, eodem fatis functo, collapsa nunc sunt penitus, ac prior illa academiae hujus facies evanuit periitque. Porro etiam, DEO & serenissimis academiæ hujus Nutritoribus clementissime sic dirigentibus, factum est, ut ei fierem collega, & quidem lateri ejus, praeter meritum meum, adjungerer. Huc accedit, quod parens meus, G. Calixti, & Conr. Horneii, summorum theologorum, discipulus, Calixtino nomini & doctrinæ, (quae etiam in *Praelectionibus* ejus *theologicis*, a me editis, tanquam in epitome, expressa est) apprime fuerit deditus: non quod in verba ejus jurarer, & ex duce dominum redderet, ceu servum discentium pecus facere solet; sed quia magnam accuratioris ac solidioris notitiae partem ei se debere sciebat. Vnde &, in memoriam & honorem optimi praeceptoris, qui *Georgii* praenomen gerebat, quotannis, quamdiu ille in vivis erat, in die Georgii, conviviolum instituit, & cum amicis hilarem se fecit; memorabili sane exemplo, beneficia ab informatoribus accepta, non esse oblivione aut contemtu sepelienda, sed memoria recolenda, & grati animi signa in publicum producenda, aliisq; quovis honesto modo commonstranda. Quamvis igitur, inter honorandos collegas meos, complures sint, qui in dicendi arte me superent, adeoq; majori cum ornatu, manibus beati nostri senioris, justa perficere sustinerent, nemo tamen illorum tam validis ad munus hoc obeundum argumentis moveri & quasi impelli se sentiet. Ut autem provincia, quam, ex justissimis causis, necessitas, seu potius pietas, mihi imponit, rite defungar, constitui, orationis meæ

partes

partes & terminos facere, *Ortum, Educationem, Studia, Itinera, Officia, Scripta, & Obitum beati nostri Calixti.* In quibus recensendis ac laudandis cavebo diligenter, ne veritatem, summi & sanctissimi DEI suavissimam sobolem, vel verbulo laedam aut offendam; ut vero, ea, quae in illo merentur laudem, a nobis probe observentur, atque ad usum nostrum transferantur, allaborabo, quantum possum, omnemq; dabo operam, nullus dubitans, quin innocenter, &, quantum in me est, breviter dicenti, pro vestro in me, immo & in defunctum, affectu, vacivas aures sitis praebituri.

HOnestis, & bonae famae, magnaeq; apud alios existimationis parentibus editum esse, prima, nec contemnenda humanae felicitatis pars est. Atque haec etiam obtigit Calixto nostro, nato in illustri Julia (*in qua*, ut Paulus Oderbornius in epistola ad serenissimum Ducem HENR. JVLIVM (a) scribit, *nobilissimarum disciplinarum pulcherrimi flores rara felicitate a multis decerpuntur*) Anno 1622. (b) ex Catharina Gertneria, amplissimi hujus urbis consulis filia, matrona laudatissima, & tenerioris sexus decore insigni, patre Georgio Calixto, S. theol. D. ejusque in hac alma Julia professore ordinario. Quem dum nomino, virum nomino optimum, & inter praecipua seculi superioris ornamenta numerandum: *quam enim pius fuerit*, (verba haec sunt Vogleri, (c) viri gravis, & ab omni adulatione ac mendacio alienissimi) *quam doctus insigniter, quam in officio fidelis & industrius, quam comis, quam benignus, nunquam non testati sunt ejus discipuli,* F.V. Calixti Ortus.

(a) Quae praemissa est Vitae Johannis Basilidis, Magni Moscov. Ducis.

(b) D. 8. Martii, dominica Quadrages. seu Invocavit.

(c) In Memoria Calixti, quae etiam exstat apud Wittium, pag. 1141. in Memoriis theologorum.

puli, quos habuit innumeros, ecclesiae, reip. academiarum praeclaris muneribus postea perfunctos. Nemo horum omnium fuit unquam, nisi forte pudorem perdiderat, qui non de commemoratis summi viri virtutibus inscriptum in animo testimonium ferre potuerit. Quas quidem ipsas multo certius & expressius demonstrant tot erudita in publicum emissa volumina, quibus vel divinas literas interpretatur, vel priscae ecclesiae historiam recenset, vel capita religionis demonstrat, vel contra adversarios disputat: in quibus omnibus summum ingenium, judicium singulare, diffusa lectio, accurata industria, & quae christianorum maximae virtutes sunt, modestia, charitas, ac concordiae omnium christianorum flagrans studium, ita undique compareant, ut neminem oculatum fugere illud possit. Hinc etiam factum, ut non minus celsissimis Principibus (d) placeret, quam suae conditionis viris, magnique aestimaretur aeque ab exteris, quam Germanis suis civibus. Sicut enim Joh. Gerhardus (e) eum appellat *theologum eximium*, Micraelius (f) *antiquitatis scrutatorem acutissimum*, Boeclerus (g) *doctissimum*, Wellerus (h) *theologorum praeclarissimum, virumque θεοφιλέστατον*, Hülsemannus (i) *merito suo insignem, & venerandum in Christo patrem, deque ecclesia optime meritum*, Dorscheus (k) *virum summum*, Fürstenerus (l) *virum egregium*,

(d) Vide Calixti Wiederleg. Welleri H. & F.V. Calixti dedicat. Demonstrat. liquidiss. praemissam.
(e) Conf. Cathol. l. 2. part. 3. p. 1538.
(f) Hist. Eccles. l. 3. sect. 2. quaest. 48. p. 472.
(g) Ad Lib. I. Grotii de J.B. & P. Cap. I.
(h) In literis ad D. Calixtum 21. Jul. An. 1643. & An. 1646.
(i) In literis ad eund. 5. Martii, An. 1647. aliisque.
(k) In Lit. m. Jul. Anno 1640.
(l) De Jure suprem. & legat. Princip. Germ. cap. 31.

gium, qui doctrina atque judicio paucos pares habuerit, Schüzius, (m) Joh. Ludov. Fabricius, (n) & Calovius (o) *incomparabilem*: ita Schoockius (p) eundem praedicat *celeberrimum theologorum*, Salmasius (q) *doctissimum Lutheranorum doctorem & theologum*, Priorius (r) *insignem Lutheranum*, If. Causaubonus (f) *virum doctum, & judicii in literis non vulgaris*, & Hugo Grotius (t) *probat ejus judicium, & cum pacis amore conjunctam antiquitatis reverentiam*, ac denique Episcopius (u) *eum sibi non semel ob raram eruditionem ab aliis commendatum esse* ait *& laudatum*, optatque *ejus scripta videre & legere*. De tali ac tanto parente cur non sibi gratularetur filius? eccur nos eum hoc nomine non praedicaremus beatum, faustoque & fortunato natum sidere? Agnoscite igitur beneficium hoc, qui similem nascendi sortem nacti estis, & Creatori vestro humillimas pro eo agite gratias, solicite caventes, ne tanto dono abutamini, & sub umbra praeclarissimorum parentum, tanquam vilissimi fungi, lateatis; caeteri autem vos, quorum genitores inferioris & plebeiae sunt conditionis, animum propterea non abjicite, & deterioris vos reputate sortis, sed eo diligentius sapientiae & virtutum studiis incumbite, iisque ortus vestri

B igno-

(m) Vol. 2. Coll. Publ. disp. 4. th. 13.
(n) In Operib. p. 295.
(o) In Inscriptione tractatus a se transmissi. Adde & tractatum de Meth. doc. & disc. pag. 175.
(p) In Fab. Hamel. p. 9.
(q) Sub nomine Simplicii Verini, de Transubstant. p. 515.
(r) Annot. in c. 8. Tertull. de Exhort. castit.
(f) Epist. 692. edit. Brunsvic. pag. 875.
(t) Epist. 164. ad Gallos.
(u) In Epist. præstant. viror. p. 738. edit. in 8.

ignobilitatem (si tamen ortus discrimen est inter homines, a natura constitutum) nobilitate & condecorate, memores, satis honestos & gloriosos esse parentes, qui pii sunt & virtutum a se requisitarum amantes, vitaeque innocenti apprime dediti. Nam, ut vere non minus, quam eleganter a Seneca (x) dictum est: *Non facit nobilem*, (neque etiam eruditum) *atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem*, (& studium cum probitate facit eruditum) *cui ex quacunque conditione, supra fortunam licet surgere.*

Educatio. Neque vero ullus est sive nobilis, sive alterius praeclarae nativitatis fructus, ullumvê decus & ornamentum, sine proba & recta educatione. *Ut ager*, inquit Plutarchus, (y) qui, ex judicio Lipsii, (z) diffusa quadam ac plana scribendi via ad virtutem ubique & prudentiam ducit, *si non colatur, non solum nullas fert fruges, verum etiam multa sylvestria producit: ita adolescens rationis capax, nisi praeceptis honestis exerceatur, non solum non evadet bonus, sed ad multa vitia deflectetur.* Mala educatio, vitium est primae concoctionis, unde omnia mala, & peccata, quibus inquinantur liberi, plerumque exsurgunt, seque turpissime produnt. At vero bona educatio, radix & fundamentum est omnis recti, quod hominem, & cumprimis christianum, sectari oportet; immo etiam vera laudis & gloriae materia. Unde quum mulier quaedam Ionica de textu quodam suo, ut pretioso, gloriaretur, Lacaena (1) ostensis quatuor filiis, quos habebat, compositissimis moribus praeditos: *Hujusmodi*, inquit, *decet esse honestae probae-*

(x) Lib. V. epist. 44.
(y) In Apophth.
(z) Apud Keckerm. de Nat. & propr. histor. in Auctar. c. 3.
(1) In Apophth. Lacaenarum. p. 245.

probatq; mulieris opera, deq; his tollere animos, & gloriari. Jam quod Calixtum nostrum attinet, quis dubitare possit aut velit, eum recte ac bene fuisse educatum? Patrem habebat, in quo sapientia ac probitas non hospitabantur, sed habitabant. Qualis ergo ipse erat, talem utique formare etiam filium suum & sciebat, & volebat. Sane nihil magis curae cordiq; fuit prudentissimo pariter & optimo viro, quam ut pueri disciplina dextre institueretur, & juventus ejus debitis modis subigeretur, probe sciens, multum referre, quo modo ille a teneris assuesceret. Hunc scopum ut assequeretur, pietatis & virtutum cultum, sine quo frigent studia sapientiae, & omnes etiam aliae nostrae actiones, ante omnia commendari puero curavit, atque inde demum ad studia literarum eum deduci. Nam praepostera erudiendi adolescentiam est ratio, qua parentes nonnulli eo tantum spectant, ut liberi sui reddantur docti aut politi & exercitati, de probitate autem & morum innocentia, iisdem in principio & quasi in herba instillanda, non sunt soliciti. Stultissimi hominum! Annon acescat praestantissimum Falernum, vasi impuro infusum? quî intret spiritus sapientiae, qui pariter est spiritus sanctitatis, animam peccatis, pessimisque moribus deditam? an dubitare licet de veritate apophthegmatis, quod in libri Proverbiorum initio (2) exstat, a sapientissimo mortalium prolatum, omniumque hominum mentibus imprimendum: *Reverentia Jehovae est caput scientiae*? Sane tam secularis, quam sacrae scientiae initium, radix & fons, est timor DEI, ac Domini hujus universi. Hunc timorem si tollis, omnem tolles veram ac solidam scientiam: quae enim videtur remanere, non vera est, non cœlestis, non salutaris; sed carnalis, brutalis,

(2) Cap. I, 7.

ac daemoniaca, immo larva, spectrum & cadaver scientiae, ac verissima stultitia: *sapientiam* enim, ut porro ait sapientissimus ille sanctorum, & sanctissimus sapientum, *ac eruditionem*, a timore illo rectam, *stulti sperunt*. Corrigenda prius est perversa voluntas, atque affectus compescendi, moresq; formandi in puero, quam mentem ejus, scientiae placitis variaque doctrina, imbuere labores. Si vis illuminare cubiculum, nitidumque & exornatum reddere, necesse est, ante ut illud purges a sordibus, easq; si fieri potest, omnes converras, & ejicias. Bonum autem factum, quod Calixtus noster puerulus disciplinam non recusârit, nec monitoribus asperum se praebuerit, sed, uti ipsum decebat, *eruditionem* (3) *patris sui audiverit, neque deseruerit doctrinam matris suae*: sicut enim excitato, solerte & capace erat ingenio, ita non gerebat animum improbum & malitiosum, sed tractabilem, seque refrenari patientem. Hac via incedentem non deserebat benedictio divina, sed prosperabat & juvabat, in discendis literarum tyrociniis. Cum patre & privatis praeceptoribus non nisi latine ei concessum erat loqui: in quo exercitio tam feliciter progressus est, ut prius fari sciret latine, quam legere & scribere. Sic videmus, non esse necesse, ut linguam peregrinam ex grammatices praeceptis discas, cum illa ex usu peti atque hauriri queat: cui postea, ut discipulus certior reddatur, neque fundamentis careat, regularum grammaticarum inspectio & tractatio rectissime subjungitur. Ad hunc modum informatos etiam fuisse Mericum Casaubonum, Blasium Pascalium, Joh. Bapt. Cotelerium, (4) aliosque doctissimorum virorum filios, literis proditum est. Patres Latino utebantur

(3) Prov. I. 8.

(4) Baillet en Enfans celebr. par leurs etudes p. 303. 352.

tur sermone, matres Gallico aliove, & famulitium vernaculo, ita, ut pueri simul trium linguarum notitiam sibi acquirerent, atque una fidelia, quod in proverbio dicitur, non duo, sed tres parietes dealbarentur. Quae linguas docendi ratio si frequentior foret, non X. & plures saepe anni, uni Latinae discendae, quae tamen sic etiam a nonnullis male discitur, impendendi essent, sed magnum & temporis, & operae, & expensarum fieri posset lucrum, & compendium. Sed & reliqua, quae ad rectam puerorum institutionem, ex sapientum & prudentum virorum monitis atque exemplis, (5) necessaria sunt, in filiolo suo observare studuit pater accuratissimus. Scilicet non eum commisit scholastico cuidam guloso, ebrioso, plagoso, atque ad institutionem tam apto, quam asinus ad lyram, sed cautissimus fuit in deligendo praeceptore, nec nisi moratissimum assumsit, &, in quantum dabatur, eruditissimum, probe sciens, ut agricolae plantis adjungunt pedamenta, ita justos magistros affigere pueris debere, quo eorum mores & scientia recte pullulascant, accuratas praeceptiones & praescriptiones: & , quum mores, etiam optimos, corrumpere soleant colloquia & sodalitia prava, non nisi optimae indolis adolescentes advocari permisit, qui discenti adsiderent, eadem cum eo studia tractarent, & currenti calcar adderent, atque in recreationis hora, ut amant alterna Camœnae, cum eo confabularentur, licitoque ludo animos reficerent. Quanquam optima ista conversatio, inprimis modestorum, nec ineruditorum, & aetate majorum adolescentum, puero nostro gratior erat suaviorque omni cujuscunque generis ludo. Maxime tamen, post

 litera-

(5) Plutarch. de instit. liberis, T. 2. p. I. Cui hodie jungi potest optimus libellus De l'Education des enfans, traduit de l'Anglois. A Amsterdam, 1695. in 8.

literaria, delectabatur exercitiis corporis. Neque illis ei interdicebat pater minime vel morosus, vel stultus, quippe qui ex sanae rationis praeceptis, & optimorum auctorum (6) lectione, satis didicerat, illa & ad tuendam sanitatem, commodiusque aliquando facienda itinera, conducere, & ad aptum corporis motum concinnandum, neque verba S. Apostoli, (7) σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος, *corporalis exercitatio ad pauca utilis est*; sive de externa illa corporis disciplina, (8) quae in jejuniis, vigiliis, aliisq; id genus abstinentiis & laboribus consistit, intelligantur, sive de athletica exercitatione, (9) quae cursu, lucta, saltu, jactu & pugilatu cum caestu, aliisvé modis peragitur, gymnasticis exercitiis adversari, eaque plane & absque ulla conditione rejicere & condemnare. Videndum etiam in liberorum disciplina, ne vel audaces evadant, vel timidi; ne verberibus aut flagris compellantur, ubi monitis & exemplis locus datur; ne solis concredantur praeceptoribus, parentes autem nec spectatores sint unquam illorum institutionis, nec auditores; ne immodestiae, petulantiae, garrulitati, mendaciis, obscœnis verbis, calumniis, irae, vindictae, aliisq; hujus furfuris vitiis, a quibus bonae mentes abstinent, sese dedant & mancipent. Quae autem ulla est istarum partium, quam prudentissimus Calixtus in filio suo praeterierit aut neglexerit? Omnino nulla. Sed nec fructu suo caruit

(6) Plutarch. de Instit. liber. p. 5. & Panciroll. de Reb. deperd. tit. XXVI. p. 90. & de Reb. invent. tit. XXI. p. 292.

(7) I. Tim. IV, 8.

(8) Æg. Hunnius in Comment. ad praedictum locum, pag. 796. & 797.

(9) Guil. Estius in Comment.

caruit tam diligens & assidua cura: Hinc enim filius in literis aeque, ac moribus profecit, &, ut comis erat, facundus, civilis, urbanus, elegans, & facetus, facile se insinuavit in amorem tam aequalium, quam illustrium adolescentium, immo & favorem gratiamque obtinuit apud florentissimos Principes juventutis.

Sed ab hac parte orationis, in qua, ob materiae praestantiam & utilitatem, paullo prolixior fui, ad aliam, & quidem ad studia defuncti nostri convertendus est sermo. Ubi quidem per *studia* intelligimus illa, quae academica dicuntur. Studia. Matriculae igitur civium academicorum insertus noster, non illotis manibus illud studiorum genus, cui deinceps omnem consecrare vitam sibi proposuerat, aggredi & tractare ausus est, sed ex prudenti cum aliorum, tum optimi parentis sui, (10) consilio, ei praemisit scholas philologicas & philosophicas, inque iis probe se exercuit: quandoquidem istas qui negligunt, & statim futuri operis sui aedificium erigere conantur, similes sunt dementi & insano homini, in terra arenosa & sine fundamento exstruenti, neque decus & nomen litteratorum unquam possunt consequi. Et quamvis in votis atque in proposito haberet, arti se consecrare medicae, non tamen propterea abstinuit a discenda dicendi facultate, copia & gravitate, quae eloquentia dicitur, edoctus sine dubio a praeceptoribus suis ex Cicerone, (11) *nihil esse aliud eloquentiam, quam copiose loquentem sapientiam, unam de summis virtutibus, ingenii lumen, & dominam rerum, pacis comitem, ocii sociam*; & (12) *nihil esse tam inhumanum, quam eloquentiam a natura ad salutem*

(10) In prolegom. Epit. theol.
(11) Partit. Orat. c. 23. & alibi.
(12) 2. Offic. c. 14.

tem & conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemq; convertere, adeoque dicendi peritiam omnino etiam ei competere, qui salutarem & homines servandi artem tractaturus esset. Didicit autem illam ab ejusmodi magistro, qui excellens in tradendis eloquentiae praeceptis, eorumque usu monstrando erat, et quo meliorem ne optare quidem poterat, *Christoph. Schradero*, quem honoris & observantiae causa, post fata etiam mihi pie colendum praeceptorem, in panegyri hac nomino. Si autem ita se res habet, quod eloquentia cuivis vitae generi, quod inter honoratiora locum habet, competat, & suo modo necessaria sit, quî fit, quod nobilissimum hoc studium, tanquam inutile, nec necessarium, a multo maxima studiosorum parte, qui ecclesiae aliquando servire, & verbum Dei praedicare volunt, vel nullo, vel levi brachio attingitur? Quomodo dicetis, quaeso, nulla dicendi peritia instructi? an forte putatis, vos eam hausturos esse ex collegiis homileticis? ergone nescitis, non esse idoneos illorum auditores, nisi eos, qui in eloquentiae gymnasio gnaviter sese exercuerunt, & rhetorices praecepta ad unguem tenent? Immo an nullibi fieri solet, ut collegia ejusmodi tractentur & aperiantur etiam ab iis, qui ipsi Musam illam nostram vel nunquam, vel in transitu duntaxat salutârunt, & cum arcano, aut, si malunt, palladio *methodi* (13) suae, omnibusq; *praeceptorum* suorum sive gazis, sive centonibus, loquentes tantum sunt, uti aera tinnientia, non vero eloquentes? Fitne delectus

(13) Qua omnibus concionibus eandem formam inducere gaudent, aptaturi etiam omnes pedes uni calceo. Nempe Methodus nuper excogitata, sanctis Patribus autem, aliisque cordatis Ecclesiae doctoribus ignota, & inaudita.

ctus auditorum, & illi solum ad homiletica exercitia, prout decet, admittuntur, qui S. theologiae partes jam satis bene didicerunt, vel quivis potius introeundi licentiam habet, Tros Rutulusvé fuat, etiam alphabetarius sacrae nostrae disciplinae, & qui ejus dogmata nec tenet, nec docere novit, aut probare, & defendere? Annon passim, dum non frigent ejusmodi collegia, multae frigidae, jejunae, exsuccae ac macilentae audiuntur conciones, in quibus nulla ἤθη, nulla πάθη, id est, nullae moratae orationes, nullum artificium movendi affectus? An sic olim declamarunt patres ecclesiae, Basilius, Chrysostomus, Gregorius Naz., Ambrosius, Augustinus, & alii, quorum sermones summa cum admiratione fuerunt auditi, hodieq; leguntur? Quid? an Lutherus, Phil. Melanchthon, Wellerus, Gerhardus, Hülsemannus, & plures nostratium, (de aliarum partium magnis doctoribus ut nihil dicam) sine cortice eloquentiae, in flumine praedicandi sermonis divini, natârunt, aut natandum esse docuerunt? Aut forte enthusiasmos vobis pollicemini, & exspectare vultis, usque dum, sine mediis ordinariis, & sine studio ac labore, ad instar Apostolorum, enthei reddamini, & miraculose coelitusq; diserti? Sistite igitur, sistite gradum, amabo, & ex intuitu Calixti nostri, quanquam necdum theologiae initiati, a deviis in rectam semitam, & ad meliorem mentem redeuntes, proficua illa perque necessaria dicendi exercitia in scholis rhetorum ante suscipite, quam sanctae doctrinae nomen detis, ejusque alumnos vos esse profiteamini: alumni autem facti, non perfunctorie, sed debita cum diligentia, & justo ordine, omnes sacrae scientiae partes, si tempus & con-

ditio vestra permittit, discendas atque ediscendas vobis sumite, operamque date, ut, ex sano magnorum virorum, Melanchtonis & Chemnitii, consilio, evadatis *scripturarii*, h. e. tales, qui sacras literas probe intelligant & interpretari sciant. Hoc si contigerit, nihil, mihi credite, aut potius illis, nihil, inquam, obstabit, quo minus praecepta in eloquentiae gymnasio audita, transferatis ad usum, & non qualitercunque, sed apte, perspicue, morate, prudenter & efficaciter, ut decet oratores sacros, & legatos Christi, in cœtu fidelium dicere sciatis, & laudem, amorem ac venerationem auditorum, tanquam justum praemium, gloriose reportetis. Et hactenus Calixtum nostrum adhuc inter medicorum filios incedentem conspicimus, cui studium isthoc depereunti, noluit refragari pater indulgentissimus, quippe cui consultum videbatur, optionem certi studiorum generis filiis relinquendam esse, ne excusationis materiam habeant, si in alio, ad quod adiguntur, minus feliciter progressi fuerint. Itaque sub celeberrimo Machaoniae artis magistro, *D. Jac. Tappio*, coluit noster salutare illud studium, idque bono cum Deo continuaturus, Lipsiam abiit anno superioris seculi quadragesimo, ubi mox togam cum sago commutare, & a Palladis otio in campum Martium transire, armaq; capessere, & in urbis obsidione, arcis partem quandam, cum reliquis studiosis, pro virili defendere jussus est. Quid facerent pii parentes ad tristem hunc nuncium? Illi manus & corda ad cœlum elevare, & cum suspiriis lacrymisq; Deum opt. max., a quo omnis salus provenit, quiq; in praesentissimis servare nos potest periculis, rogare & obsecrare, ut benigne respi-

respiceret filium, & omne ab eo vitae & sanitatis periculum arceret. Neque irritae aut vanae fuerunt hae piorum preces: etenim, tradita urbe, imperio parentis morem gerens, domum ad Penates suos reversus est salvus atque incolumis miles medicus. Quantam vero ex reddito sibi tam caro pignore, ex altera sui portione, ex animae dimidio suae, ceperint parentes tenerrimi voluptatem, quantoq; cumulati fuerint gaudio, non licet verbis exprimere, sed vobis id, Auditores, vobisque maxime, qui pii estis patres, filiosque habetis nec immorigeros, nec inamabiles, cogitandum & dijudicandum relinquo. Sed longe majus, exsuperantiusque fuit illud, quod sensit & animo & natura pater, ex mutato filii proposito. Hic enim, & instructissimam patris bibliothecam, & nobilissimas tantumque non incomparabiles docendi dotes, quibus ille ornatus erat, earumque causa passim a maximis doctissimisq; viris celebrabatur, considerans: Quid feci, inquit, quod medicinae studio me dare constituerim? cur aliud sectar vitae genus, quam optimus pater meus? an dilapidandi sunt nummi in conquirendis libris, dum in domo paterna maximus eorum est apparatus? ex omnibus paene provinciis certatim quasi advolant studiosi, qui eximii hujus theologi informationem expetunt, deque ea sibi gratulantur; & ego alios mihi quaeram praeceptores? cunctandumne diutius est, an protinus e diverticulo in viam redeundum? Non illaudabilis erit apostasia a medicina ad theologiam, a scientia servandi corpora mortalium, & salutem iis ferendi, ad sanctam illam scientiam, quae finem sibi habet propositum salutem animarum. Bene: stat sententia. Tibi, o propitia Apolli-

nis filia, valedico, non quod te spernam & contemnam, sed quia majora studiorum sacrorum adminicula, quae domi habeo, me avocant. Ad te autem, o sancta Theosophia, me converto, & ut fugitivo condones, tardiusque venientem, in sinum tamen recipias tuum, & amoribus copiisque tuis satures, rogo atque desidero. Dictum, factum. Recepit Diva blando vultu novitium, eumque omni bonorum & facultatum suarum genere locupletavit, dum in mysteriis erudiendum dedit praestantissimo epoptarum suorum pari, Calixto patri, & Conr. Hornejo. Atque ut haberet studiorum socium, cum quo audita repeteret, & legenda legeret, cujusque assiduo labore ac diligentia, sancta in ipso aemulatio accenderetur, adjunxit ei cautissimus pater *Gerhardum Titium* Quedlinburgensem, qui, ut tunc inter theologiae filios, ita postea inter ejusdem patres seu doctores, ut doctissimus, ita etiam optimus fuit, certe amor & deliciae studii sacri, ab omnibus, qui virum nôrunt, multo cum merito dicendus. Neque caruit hoc consilium, novumque illud institutum, suis fructibus: in tantum enim sub eorum ductu & doctrina profecit Fridericus noster Ulricus, ut, anno praedicti seculi octavo & quadragesimo, jam praeludia faceret muneri publico, atque non ineptum se ad id esse ostenderet, habitis, ex singulari indultu & concessione venerandi ordinis, praelectionibus theologicis privatis. Quem laborem, biennio post, hoc est, illo ipso anno, (14) quo post tricennale saevissimumque bellum, aurea Germaniae pax publicata fuit atque ebuccinata, ejusmodi insecutum est praemium, quod & genio ingenioque candidati nostri erat convenientissimum,

(14) An. 1650.

tiſſimum, & meritiſſimo ejus parenti gratiſſimum acceptiſſimumque, quando, praeſentibus excellentiſſimis almae hujus Juliae Viſitatoribus, commiſſa ei & concredita fuit profeſſio theologiae dogmaticae, cujus auſpicia ille mox fecit ab oratione ſolenni, qua, more veterum, praeludi ſolet laboribus academicis.

Sed in officiorum ejus catalogo, quem modo orſi ſumus, pertexendo, non poſſumus pergere, cum itinerum jam ſit facienda mentio, atque in iis nobis comitandus muſteus noſter theologiae profeſſor. Enimvero is non ſatis eſſe putavit, ante quinquennium (15) excurriſſe Thorunum Boruſſiae, quo celeberrimus ejus pater ad colloquium vocatus fuerat, & illius ac vicinorum locorum (16) ſalutâſſe viros eruditos, niſi majus inſtitueret iter, & plures atque inſigniores Europae provincias peragraret, ad comparandum ſibi inde majoris & notitiae, & civilitatis, & moderationis, & prudentiae merces. Sic enim ſemper judicârunt viri ſapientia aeque ac prudentia clari, oppido utile eſſe, ut, qui literarum, etiam ſacrarum, ſtudiis imbuti ſunt, & non tantum pecunia, juſtoque corporis robore, verum etiam bona mente, ac virtutum amore inſtructi, e nido patrio in exteras & cultiores ſe aliquando transferant terras, &, quid rerum ibi agatur, quid doceatur, quid dicatur, quid ſcribatur, quid reprehendatur, quid denique deſideretur, videant atque audiant, & in uſum, tam ſuum, quam patriae, tanquam in ſuccum & ſanguinem, convertant: cum e contrario interdum fiat, ut quidam eorum, qui ſemper poſt fornacem manent, nec unum Itinera

(15) An. 1645.
(16) Dantiſci & Regii Montis.

tertiumvé lapidem excedunt, sint inhumani, inciviles, immoderati, austeri, pertinaces, rebus publicis & ecclesiis graves ac molesti, & paene intractabiles. Observans igitur consilium hoc sapientum, atque exemplum laudatissimi parentis sui, qui Belgium, Britanniam, & Galliam viderat, atque in Italiam etiam (17) pedem promovisset, nisi veritus fuisset, ne adversariis, ob lucubrationes suas jam editas, ingrata foret praesentia sua, imitatus noster, per Saxoniam superiorem, Bohemiam, Hungariae partem, Moraviam & Austriam, in Italiam abiit, atque inde in Galliam & Belgium, & ubique, ob paterni nominis famam, etiam inter dissentientes, humanissime fuit receptus, multoq; honore & amore mactatus. Quid? ne Romae quidem prohibitum ei fuit, de capitibus religionis disserere, & sententiam suam libere proponere. Id quod etiam licuit facere posteris temporibus, ac hodienum, credo, licet, dum modo adhibetur modus, & modestiae ac verecundiae limites non transsiliuntur, neque cum impetu & clamoribus aut furore disputatio suscipitur geriturq;.

Officia. Absoluto itinere, ad pensum laborum suorum (18) rediit clarissimus Calixtus, idque omni tempore, non tantum legendo & disputando, sed meditando etiam, & in futuros usus optima quaeque colligendo, (miseram enim eorum conditionem esse putabat, quibus nihil superest temporis, ad fructum e bibliotheca sua, & optimorum auctorum lectione percipiendum) fideliter & alacriter fecit, atque hanc laudem sibi perpetuam reddidit. Quid suavius autem

(17) Vide ejus Memor. apud Wittium, p. 1138.
(18) In ordinem theologicum solenni ritu cooptatur An. 1651. VII. Martii.

autem gratiusque venerando patri ac seni poterat esse, quam videre & habere amabilissimum filium collegam, certumque ut facultatum, ita & dignitatum suarum heredem? ecquid optatius honorificentiusq; filio, quam in eodem cum magno patre ordine versari, idemque cum eo saxum volvere, & eundem cum ipso senatum frequentare? Cumprimis utrique notabilis & albo signanda lapillo erat illa dies, (19) qua filius & ab inclyto patre, cui post DEUM vitam debebat, &, quae illa praestantior est, eruditionem, summos ordinis sui honores accepit, creatus theologiae doctor, &, praemissa benedictione sacerdotali, cum suavissima sponsa (20) nuptias celebravit, eamque domum duxit. In quo nec inamœno, nec infœcundo conjugio, vixit (quod hodiernis temporibus rara est avis) annos unum de quinquaginta. Equidem bene meritus doctor ac professor noster, ex obitu pii senis ac patris, (21) merito graviter afflictus fuit, & in luctum ac squalorem conjectus: sed, ecce, quam & hanc jacturam admirabilis DEI providentia ac sapientia noverit convertere in bonum, & solatium ipsius afflicti! Illius enim infinitae gratiae, illius sanctissimae directioni adscribendum est, quod Principum Germanicorum Salomo

(19) D. 27. Julii, An. 1652.

(20) *Anna Margareta*, Henrici *Duvii*, Consulis Helmstadiensis, filia, & Christoph. *Roieri*, itidem consulari dignitate conspicui, adoptiva: e qua sustulit 6. filios, & 2. filias, unde adhuc superstites sunt, *Calixtus*, capitulorum S. Nicolai apud Magdeburgenses, & S. Blasii apud Brunsvicenses canonicus, & *Catharina Maria*, virgo cœnobialis & Deo dicata.

(21) An. 1656. d. 19. Martii.

lomo & Neſtor, celſiſſimus AVGVSTVS, Dux Brunsvicenſium & Lunaeburgenſium, glorioſiſſimae memoriae, ejusque in prudentiſſimo regimine, & virtutum Heroibus dignarum ſtudio feliciſſimi ſucceſſores filii, sereniſſimi ac potentiſſimi Principes & Domini, DN. RVDOLPHVS AVGVSTVS & DN. ANTONIVS VLRICVS, Domini noſtri clementiſſimi, Calixto noſtro, aut potius ſuo, perſpectis ejus fidelitate, diligentia & meritis, benigniſſime contulerunt; ille quidem *conſiliarii conſiſtorialis & eccleſiaſtici* (22) ſpartam, hi autem *abbatiam* (23) *Regiae Lutterae.* In quantum autem dignitatibus hiſce, ex faventiſſima tantorum Principum manu acceptis, ornabatur, ſplendidiſſimo patri nunc per omnia aequalis filius Calixtus, in tantum, omni fide & ſtudio, omnique opera ac integritate, easdem ornare ſtuduit, & reparatione tecti bonaeque fornicum partis, (24) quae in templo, auguſtiſſimi Imperatoris, & fundatoris nunquam ſatis depraedicandi, LOTHARII, ejusque conjugis auguſtae exuvias tenente, collapſa erant, ac miſeram praebebant faciem, curae ſuae abbatialis inſigne ſpecimen dedit, poſterisque reliquit.

Scripta. Maximum autem ſtudium ponere laboravit in ſcriptis, (25) exiſtimans, illa & ſaxis & aere perenniora eſſe,

(22) An. 1664.
(23) An. 1684.
(24) An. 1699.
(25) Eorum indicem ipſe exhibet poſt praefat. in parentis ſui de Reformatorum Tolerantia Conſultationem, lit. l. Quibus adde *Annotata* in Pacifici Verini Judicium de unione religionis proteſtantium cum aliis, (contra quod ſcriptum Pacificus Verinus Apologiam edere meditabatur, ſed, poſt obi-

esse, multumq; augmenti ad rem literariam conferre posse professorem, si eruditionem suam non unius academiae, in qua degit, limitibus terminet, sed pomœria ejus, lucubratione scriptorum, ad exteras regiones proferat. Per etiam ei placuerunt haec judiciosissimorum virorum monita: Non esse multa scribenda, sed cum cura ac sedula meditatione; nec provocandos aut lacessendos adversarios, sed defensione contra laedentes utendum, immo & illam interdum omittere, honorificum; nec properandum immatura aetate ad scriptionem, quum *tales* (ut loquitur (26) Conr. Rittershusius) *justa plerunque Nemesis excipiat, ut eorum immaturi fœtus ante parentes moriantur, atque etiam in vicum, vendentem thus & odores, & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis, vel etiam illuc, ubi de sabeis messibus nihil spirat, deferantur*: nec denique minus utile esse, si vel maxime minus gloriosum, aliorum scripta inedita in publicum producere, editavé secundis curis, justisque accessionibus aut animadversionibus ornare, & vitam quasi ac spiritum iis restituere. O utinam etiam hoc observaretur ab omnibus scriptoribus, ut modum tenerent, praecipue in refutationibus aliorum, nec temere ad illas prosilirent, litesve ex litibus sererent, & rerum suiq; paene obliti, falsis interpretationibus, dictorum detorsionibus, aculeatis verbis, maledictis, & convitiis, (27) ceu pueri nucibus & astragalis, luderent, atque ita alios, quos amare, eorumq;, si qui sunt, errores tegere, &, quantum licet, excusare deberent, alios autem? immo etiam se ipsi, ludibrio, & contemtui exponere satagerent! O quam tutius

tum illius, ab ea abstinuit, ne mortuo insultâsse videretur: quae moderatio viro theologo digna & laudanda est) & *Viam ad pacem.* An. 1700.

(26) In Oppian. l. 3. cyneg. v. 159.

(27) G. Calixt. in Desider. & Stud. concord. eccles. §. 11. 18.

eſt, in flumine exponendorum dogmatum, declarandarum ſcripturarum, tradendorum moralium, & eruendarum ſive hiſtoriarum ſive antiquitatum, navigare, quam in aeſtuoſo illo ac turbido controverſiarum & altercationum, ſaepe ſaepius non neceſſariarum, ſed ſcandaloſarum, jactari oceano! O quam melius & ſanctius eſt, quamq; Deo & omnibus piis gratius, omnem ſuam curam, ſtudium, laborem, operam denique omnem, ad id adhibere, ut lites illae & controverſiae, de quaeſtionibus non fundamentalibus, ſed juxta enatis, inter eos, qui unum Deum patrem, & quem miſit Jeſum Chriſtum, agnoſcunt & colunt, atque illam fidei doctrinam, qua contenta erat antiqua & puriſſima eccleſia, acceptant & profitentur, non tantum minuantur, ſed etiam, ſi per hominum pertinaciam & obſtinationem fieri poteſt, tollantur, atque aboleantur. O beatos, haec qui meditantur! o veros & genuinos Dei filios! *Beati*, inquit Servator noſter, (28) *qui ſunt pacifici: quoniam filii DEI vocabuntur.*

Obitus. Et praeclarum ac ſalutare hoc negotium, omni tempore, cumprimis etiam ante obitum, (nam ad hunc jam properat oratio noſtra) curae cordiq; fuiſſe Calixto filio, ceu olim ipſius patri, quis noſtrûm ignorat? & cui non conſtat, ultimum venerandi ſenis ſcriptum fuiſſe irenicum, cui titulus, *Via ad pacem?* Quis neſcit, eum verbis illis Salvatoris ac Domini noſtri, paulo ante allegatis, adeo fuiſſe delectatum, ut ſymboli loco ea adhiberet, & ſui memoriam iis, tanquam gemma, obſignaret? Quodſi igitur ille nullis aliis virtutibus praeditus fuiſſet, (praeditus autem fuit multis & magnis) haec certe, in ſtudio pacis eccleſiae poſita, multo maximam mereretur laudem, quicquid etiam dicant contentioſi, quicquid contra moliantur bellicoſi, quicquid moveant & obvertant clamoſi. Habeant illi ſibi res ſuas; nos, agite, ſequamur pacifi-

(28) Matth. V. 9.

pacificum Calixtum, seu potius summum Magistrum nostrum, a quo ille amorem ac desiderium pacis didicit & accepit, & pacem sectemur, pacem redintegremus, pacem colamus, quantum salva veritate fieri potest, cum omnibus, qui Dominum Jesum amant & venerantur. Bella in hoc seculo geruntur, pacis recuperandae causa. An ergo bella gerantur in Christi republica, atque in cœtu eorum, qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, ut sint perpetua, nec unquam ecclesiae restituatur pax, optima rerum, quas homini novisse datum est? an proderunt haec bella, (& *vestra* etiam, cives studiosi: sed revoco verbum hoc emissum, cum post tam triste spectaculum, quo alma Julia praeteritis diebus afflicta & consternata fuit, non amplius, spero, futura sint vestra, sed inhumana, sed diabolica, sed maledicta (29) *duella*) aliaeve lites, contentiones, rixae, inimicitiae, invidiae, obtrectationes, persecutiones & oppressiones aliorum, in die mortis, & secuturae ultionis seu judicii? Quid cunctamur? cur non in tempore sapere incipimus, & veram tractare philosophiam, quae in meditatione mortis (30) consistit? cur non in tempore valedicimus (31) omnibus illis vanitatibus, ineptiis & tumultibus, & simplicitate fidei christianae contenti, inq; Dei misericordia, per Christum, fiduciam ponentes, & imper-

(29) Utpote omni jure prohibita. Vide serenissimi AUGUSTI beatiss. memor. D. Br. & Lun. Edictum contra duella, publicatum An. 1646. 29. Dec. quod extat in libro Constitut. & Mandator. Principal. p. 157. & Christoph. Schraderi Programm. select. LXV. ubi, inter alia, haec exstant verba: *Nemo vel occultae impunitatis, vel MITIORIS poenae exempla anteriora, in posterum allegabit, aut patrocinio sibi fore in animum inducet. Ingravescens enim vulnus asperiora poscit remedia.*

(30) De qua vid. Schraderi Progr. LVI.

(31) B. noster Calixtus, ante obitum, renunciavit omnibus controversiis: ut olim Dürrius, prof. Altorfinus.


imperfectionem nostram (32) agnoscentes, charitatis opera exercemus, quae cœlestis atque incomparabilis Doctor tantopere nobis commendavit, & sine quorum exercitio frustra speratur benedictio Dei, aut pax & concordia ecclesiarum? cur non in tempore ignoscimus (33) offensoribus nostris, veniamq; petimus ab iis, quos scientes prudentesq; laesimus atque offendimus? cur non in tempore studemus tolerantiae, moderationi, & sanctimoniae, (34) sine qua nemo visurus est Dominum? Num forte ignoramus, quod in omnibus hisce partibus, suo exemplo nobis praeiverit non tantum ordinis sui, sed totius academiae Juliae, neque hujus duntaxat, sed omnium nostrorum theologorum, qui in academiis docent, senior meritissimus, Calixtus, & sic feliciter cursum suum consummaverit, atq; in Domino (35) placide obdormiverit? Turpe profecto esset, immo turpissimum, si, cujus dotes & splendores vidimus, cujusq; memoria non delebitur unquam e cordibus nostris, illius exemplum nobis non proponeremus, nec, pro facultatibus a Deo concessis, omni studio ac diligentia imitaremur. DIXI.

(32) Sicut enim ne sol quidem omni tempore sine nubecula est, ita nulla excellens anima sine defectu & imbecillitate. Henn. Witte Tom. II. Memor. Theol. p. 962. & Gerhard. Confess. cathol. p. 1530.

(33) Sic etiam laudatus fecit Calixtus.

(34) Idem, studium bonorum operum non modo commendavit, sed & exercere, vires nervosque intendit.

(35) An. 1701. 13. Jan. aetatis fere 79. Ossa beate defuncti delata sunt Regiam Lutteram, atque in templo illius monasterii recondita. Ubi suaviter quiescant, usque ad diem resurrectionis!



FINIS.